



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. LVII. Violati Privilegii Cæsarei, de non imprimendo Libros à Patribus
Societatis Jesu editos, sine hujus licentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72287)

§. 2. 19. & supponi videtur in c. con-
sult. 4. qui Cleric. vel vovent.

Proinde citati Doctores concedunt, etiam
Vota Solennia recipi ab Abbatissis posse: &
sic ab immemoriali observatur in Monaste-
riis Holzensi, & Kuebachensi, Ordinis S.
Benedicti, ubi Moniales in Abbatissarum
suarum manus Professionem suam depo-
nunt.

24.
Deciditur
Quaestio.

DICENDUM ergo, valori Votorum,
quæ emittuntur à Virginibus Anglicanis, ni-
hil obesse, etsi illa deponantur in manibus
Superiorissæ. Nam 1. Etiam ipsa ex Fi-
liarum suarum Electione habet Potestatem
Dominativam, & Oeconomicam, consequen-
ter admittendo hæc Vota non excedit limites
Potestatis suæ. 2. In manibus Superiorif-

æ, ut Num. præc. vidimus, deponi à Monia-
libus potest etiam Solennis Professio. Igitur
multo magis Vota Simplicia, quæ sola emit-
tunt Virgines Anglicanæ, præsertim quia
3. Ad valorem Votorum Simplicium non
requiritur acceptatio Superioris, prout re-
quiritur ad valorem Professionis Solennis.
Proinde cum ejusmodi Vota Simplicia va-
leant, etiam si illa à nullo hominum acce-
ptentur, quippe ad quæ sufficit, si acce-
ptentur à DEO, quod semper fit, quando
materia Voti est de meliori Bono, valori
Votorum istorum non oberit, etiam si con-
cederetur, quod Superiorissæ Anglicanarum
Virginum non habeat Potestatem ac-
ceptandi Vota Subditarum
suarum.

CONSILIUM LVII.

In Causa violati Privilegii Cæsarei de non imprimendo Libros, à Patribus Societatis editos, sine hujus Licentia.

SUMMARIUM.

1. seqq. Facti Species, ubi refertur Privilegium
Cæsareum, quod violatum est à Francofurtensibus,
imprimendo Annales Brunneri.
4. seqq. Vanæ Excusationes Librarii.
9. Privilegium Quaestio non limitatur ad
certum tempus.

10. Privilegium per non usum non amittitur.
11. 13. Non tantum recudere, sed etiam absque
licentia recufos distrabere libros prohibetur.
12. Ignorantia crassa non excusat.
14. Librarium in pœnas violati Privilegii inci-
disse, deciditur.

FACTI SPECIES.

I.



Abet Societas JESU per Ger-
maniam Privilegium, à glor.
mem. Imp. Rudolpho II.
Matthia, Ferdinando II. & III.
item à Leopoldo, & Jole-
pho concessum, novissimè
que Anno 1712. ab hodierno Augustissimo
confirmatum, vi cujus omnibus, & singulis
Typographis, & Bibliopolis - - atque aliis
quacunque Librariam Negotiationem exer-
centibus serid vetatur, & inhihetur, - - ne
quis Libros, - - ac scripta, ab ipsis Patri-
bus hætenus, tametsi cum ejusdem Societatis
consensu jam semel, aut sapius, etiam extra
S. R. Imperii fines edita, intra S. R. Imperii,
Regnorumque, ac Provinciarum - - Hæredi-
tariarum fines - - recudere - - vel aliò - -
recudenda - - mittere - - aut impressa - -
adducere, vendere, vel distrabere clam, seu
palam, citra præmemoratorum Patrum con-
sensum, ac testimonium - - audeat, vel præ-
sumat: cum expressa hac gravissima pœna,
ut, si quis - - secus faciendo Privilegium hoc
- - temerario quodam ausu negligere, trans-
gredi, aut violare non fuerit veritus, is non

solum prædictis Libris - - recufis, & addu-
ctis (quos prænominati PP. eorumque Mandatariis,
ubique locorum deprehensos, vel prop-
riâ autoritate, vel Magistratus illius ope, &
auxilio sibi vindicare poterunt) defacto privan-
dus, sed viginti insuper Marcarum auri puri,
puti, probi, Ærario, seu Fisco Imperiali, fraudis
nimirum vindici ex una, ex altera verò semisse sa-
pè dictis PP. eorumque Mandatariis, omni spe-
venia, ac remissionis præcisâ, pendendarum,
multam dare damnatus sit.

Animadversum autem est successu tem-
poris, quòd plures Typographi in Romano
Imperio, non obstante hoc Privilegio, ausi
sint Libros, à PP. Societatis editos, propriâ
autoritate, nullâ à Superioribus ejusdem
Societatis petita, vel obtentâ ad hoc licen-
tiâ, non solum recudere, sed etiam corum-
pere, alterare, & contra sensum, ac volun-
tatem Authorum, proprio suo beneplacito,
augere, diminuere, & variare, cum maxi-
mo tum ipsorum Authorum, tum Societatis
universæ præjudicio. Novissimè transgres-
sionis hujusmodi se reos fecerunt Joannes
Fridericus Gleditsch, & hujus frater, qui
Anno 1710. Francofurti ad Mœnum Anna-
les Boicos, olim Anno 1626. à P. Andrea
Brun-

Brunnero Monachii editos, nullā petiā, vel obtentā à Superioribus Societatis Licentiā, impensis suis curarunt reimprimere; probè gnari memorati Privilegii, & prohibitionis Cæsareæ prædictæ, quippe qui facultatem, Cornelio Leysserio Civi, & Typographo Monacensi à P. Gualtero Mundbrodt olim datam, in qua ejusdem Privilegii, & prohibitionis expressa mentio fit, ipsi suæ secundæ Editioni curarunt præfigi.

3. Comperito novissimè hoc factò, Societas Provinciæ Germaniæ Superioris, cum hoc modo læsum videret Privilegium, ab Augustissimis Imperatoribus sibi concessum, apud Sacram Cæsaream Majestatem institit, & demissimè supplicavit 1. Ut idem Gleditsch, & hujus filius penam, in eodem Privilegio taxatam, incurrisse clementissimè declararentur. 2. Ut Exemplaria ejusdem Historiæ, seu Annalium, & aliorum quorumcunque Librorum, à PP. Societatis editorum, postea verò sine hujus Licentiâ recursorum, addicantur fisco. 3. Ut pro universorum, quorum interest plenā notitiā, in proximis Nundinis Francofurtensibus Privilegium hoc pro Lege publica promulgetur; imposterum autem, prout in eodem Privilegio continetur, ij, qui apud Sacram Cæsaream Majestatem pro Privilegio Impressorio Librorum Societatis supplicent, Licentiā, à Superioribus Societatis ad hoc datam, tenentur ostendere, omni præcisā spe ejusmodi Privilegium aliter impetrandi. Hac Specie Facti posita,

QUÆRITUR.

An idem Gleditsch, & Filius in penam, per memoratum Privilegium taxatam, incidere?

4. Excusare se ab incurso istius penæ contendit dicti Gleditsch superstes Filius, in Negotiatione Libraria Successor, apud quem recursorum dictorum Annalium Exemplaria nuperrimè inventa sunt. Causas excusationis sequentes adducit.

1. Annales hi jam ante 100. annos in lucem editi, nec amplius recusati, atque adeò eorundem Exemplaria tam rara effecta sunt, ut à multis annis in nulla Officina Libraria, sed tantum in quibusdam, iisque paucis Bibliothecis prostiterint: propter quod iidem Annales ab illis, qui desiderio illorum tangebantur, magno pretio comparari debuerunt. Proin rei conventi Pater, istiusque frater, existimantes, se facturos rei Literariæ maximum commodum, cum insuper accederent multorum Virorum insignium, & doctorum preces, se resolverunt ad Opus hoc adeò rarum impensis suis recudendum: quod fecerunt optimā fide; nam

5. 2. Antiquissima, & à tempore inventæ Typographicæ Artis usitata est consuetudo, ut boni Libri, quorum Exemplaria non am-

plius extant, pro doctorum hominum utilitate denuo recudantur, modò nemini per hoc inferatur aliquod præjudicium. Tale autem præjudicium in Casu præsentis nemini illatum est: non Typographo, qui primam Editionem fecit; nam hic jam ante complures annos mortuus est: non hujus Hæredibus; quia hi vel non amplius extant, vel si extant, cum apud hos nulla amplius supersint Exemplaria, per secundam Editionem nullum amittunt lucrum, quod justè possent prætere: non denique Societati; quia à tempore primæ Editionis usque ad Annum recusionis 1710. transierunt anni omnino octoginta quatuor, intra quod tempus Patres Societatis eosdem Annales, quamvis scirent illorum Exemplaria non amplius haberi posse, ad subsidium doctorum hominum neglexerunt recudere, & sic Juri suo censentur renuntiasse: quod à posteriori colligitur; quia

3. A tempore Recusionis usque ad tempus Querelæ, apud Sacram Cæsaream Majestatem factæ, fluxerunt Anni omnino sedecim, intra quod tempus, licet hæc nova Editio per universam Germaniam sparsa, & omnibus esset cognita, iidem Patres contra eandem, & Impressores nihil moverunt: ut proinde sibi debeant imputare, quòd licet tam serò moverint, & rei conventi Patrem, hujusque Fratrem, qui de facto suo melius respondere potuissent, omni in vita erant, judicialiter non convenerint. Et esto, quòd debuissent pro Recusione novā Licentiā petere, in hoc tamen excusabiles fuere; quia

4. Dum hanc Brunneri Historiam typis denuo mandarunt, non sciebant, ubi à Jesuitis petenda esset Licentiâ recudendi Libros ab istis editos, cum P. Brunnerus jam pridem fatis concefferit, locus autem, ubi sollicitanda fuisset Licentiâ ista, in Corpore tam vasto, quale est Societas in Germania, recudentibus penitus ignotus extiterit. Ponamus autem, quòd iidem recudentes peccarunt Licentiâ istam non petendo, saltem

5. Excusationem mereretur Reus hodie conventus, quippe qui circumstantiarum illius temporis, quo nova Editio facta est, omnino ignarus fuit, nec in Negotiatione Patris, ac Patru sui partem aliquam unquam habuit, sed novissimè, illis mortuis, Negotiationem suscepit, & cum penitus inquisisset, invenit, vi Privilegii, Operi huic, etiam in secunda Editione præfixi, Licentiâ eundem Librum incudendi Cornelio Leyssero fuisse datam, qui cum jam pridem sit mortuus, optimā fide idem Reus conventus existimare potuit, liberum cuique esse, ut Opus istud pro Literariæ rei commodis, si vellet, posset recudere. Proinde iniqua videtur esse Querela hæc Patrum Societatis, atque adeò iidem non amplius audiri debent. Sed vanas has Excusationes esse, demonstrant sequentes Responiones.

Ad

6.

7.

8.

9.
Solvuntur.

Ad 1. Etiam post integrum Sæculum nova impressio sine permissu Societatis fieri non debuit, nec fieri potuit sine violatione Privilegii, eidem Societati ab Impp. indulti; nam Privilegium absolute prohibet omnibus, & singulis Typographis, & Bibliopolis, ne Libros, à PP. Societatis editos sine Licentia Superiorum istius intra fines S. R. I. ac Provinciarum Hæreditariarum, recudent, vel editos alibi invehant, vendant, distrahant &c. Nec prohibitio hæc limitata est ad certum tempus: proinde post quodcumque tempus sine permissu Societatis fiat Librorum ejus recusio, per istam læditur prædictum Privilegium. Quòd Exemplaria istorum Annalium adeò rara extiterint, & à multis magno pretio comparata, ab aliis, qui illa amplius habere non potuerunt, recusio illorum petita fuerit, probat solummodo, adfuisse causam eos denuo imprimendi, non tamen excusat eos, qui illos recuderunt sine Societatis Licentia, quæ proinde debuisset peti.

10.

Ad 2. Antiqua illa consuetudo recudendi Libros bonos, quorum Exemplaria non amplius extant, in tantum legitima est, in quantum id fit modo, & forma debita. Constat autem ex Privilegio Cæsareo Num. 1. allegato, quòd, ut Libri Societatis recudi possint, requiratur Licentia, & permissio Superiorum ejusdem Societatis. Præjudicium hac nova Editione, licet non Typographo, qui primam Editionem perfecit, vel ejus Hæredibus, Societati tamen illatum est, quæ utique causam habuit eorundem Annalium recusionem tamdiu differendi, cum non expediat semper Libros, semel editos, licet in se bonos, denuo recudere. Hinc ex dilatione Recusionis colligi nequit, quòd Societas quoad hanc Juri suo renuntiaverit; nam Privilegia per non usum non amittuntur, nisi quando Privilegiatus iis non utitur in occasione, ubi potuit, & debuit illis uti, prout sumitur ex

L. nundinis. 1. junct. Gloss. V. tempore. ff. de Nundin.

11.

Ad 3. Constat, quòd Patribus Societatis novissimo primùm tempore de hac secunda Editione sit parta notitia. Et esto, prius hoc scivissent, per hoc tamen non fuisset extincta Actio, contra recudentes, horumque Hæredes Societati competens; nam Actio hæc pœnalis est, quæ tam brevi tempore non extinguitur. Proinde Reus conventus non potest existimare se liberum esse ab ista pœna, præsertim cum jam sermo hic sit de facto, habente tractum successivum, quippe cum Privilegium Cæsareum non violetur tantùm Librorum Societatis sine hujus permissu recusione, sed etiam (ut ex tenore ejusdem Privilegii constat) eorundem sic recusorum distractione, in terras Imperii importatione &c. ut adeò tamdiu dicti Privilegii violatio continuetur, quamdiu in aliqua Officina Libraria ejusmodi Libri sic recusi retinentur.

Ad 4. Ignorantia tam Privilegii, quam loci, ubi pro recusione petenda fuit Licentia, erat lupina, crassa, nullòque modo excusabilis: Privilegii quidem; quia, cum Recudentes Editioni suæ præfixerint Facultatem P. Provincialis, Typographo Monacensi datam, ex hac ipsa Facultate potuerunt, & debuerunt scire, sibi non licere Librum istum sine Licentia Societatis recudere, quippe quod commonstrat dictæ Facultatis tenor in verbis: *Cum Sacra Cæsarea Majestas lege lata multam dixerit omnibus Typographis, & Bibliopolis, qui Libros à Societate Jesu Patribus vulgatos, vulgandosque citra Authorum voluntatem, Superiorumque publicam approbationem vel ipsi recuderint, vel alibi recusos intra S. R. Imperii, aut Provinciarum, Regnorumque S. C. Majestati Hæreditario Jure subjectorum, fines importaverint, venumque dederint &c.* Loci autem, ubi petenda erat pro recusione Licentia, Ignorantia crassa fuit; quia tali ignorantia laborare censetur, qui scit obligationem suam, & ignorans, quomodo implere debeat, non comparat sibi de hoc notitiam, cum commode posset. Atqui Recusores hujus Operis ex Facultate P. Provincialis supra dicta sciebant, vel saltem scire debebant, sibi necessariam fuisse permissionem Superiorum Societatis, & ignorantes, à quibus, & ubi eam deberent petere, non interrogarunt eos, à quibus commode potuissent habere notitiam. Proinde hæc ipsorum Ignorantia crassa, supina, & nullo modo excusabilis fuit.

Ad 5. Esto, Reus hodie conventus de culpa Patris, & Patru, dum sine permissu Societatis Annales Boicos Brunneri recuderunt, partem nullam habuerit, & sic respectu ipsius Recusionis, à se non factæ, non sit punibilis: à pœna tamen immunis non est, dum post lectam Facultatem P. Provincialis, & comparatam ex hac Privilegii Cæsarei notitiam, perrexit eosdem Annales sic recusos in nundinis palam proponere, vendere, & distrahere; nam juxta idem Privilegium eadem pœna, quæ in recudentes, etiam fertur in eos, qui Libros, ita sine licentia Societatis recusos, in terras Imperii important, vendunt, & distrahunt. Patet proinde Solutio Quæstionis proposita.

DICENDUM I. Ad hanc novam Editionem necessariam omnino fuisse Licentiam Superiorum Societatis, quod cum sciverint recudentes, neque eam debito modo petierint, eos fuisse reos dolose violati Privilegii Cæsarei. 2. Ejusdem violationis reus etiam Recudentium dictorum Filius, & respectivè Nepos, quippe qui habitã notitiã de Recusione, contra idem Privilegium factã, & pœnæ, in vendentes Libros ita recusos lata, hac notitiã non obstante, perrexit Exemplaria malè recusa vendere. Proinde 3. Ite in pœnam, in dicto Privilegio taxatam, incidit, scilicet, ut præter jacturam Exemplarium sic impressorum, pro mul-

12.

13.

14.

Decidit
Quæstio

multa pendat viginti Marcas Auri, pro una semisse Fisco Cæsareo, pro altera Patribus Societatis applicandi. Si verò Societas benignè cum eodem Reo hodierno agere, & Exemplaria, quæ juxta sæpè memoratum Privilegium optimo Jure vindicare sibi posset, condonare eidem velit, 4. Ipse post debitam Satisfactionem Societati ob Violationem Privilegii huic indulti datam, compellendus erit, ut tam pro hoc

Opere ita edito, quàm aliis Libris, quos fortassis edere cogitat (quod tamen pro Libris saltem iis, qui de Religione tractant, puto minimè concedendum) Licentiam à P. Provinciali Germaniæ Superioris petat, eamque omnibus suis Exemplaribus præfigat, cujus Executio per Mandatum Cæsareum Commissariatui, Francofurti Negotiis Librorum præposito demandetur.

CONSILIUM LVIII.

De Jure Baptizandi, & Purificatione post Partum.

SUMMARIUM.

1. seqq. Facti Species.
7. Extra Casum necessitatis solus Parochus licite baptizat Infantes Parochianorum suorum.
8. Baptismus regulariter conferendus est in Ecclesia.
9. Parentes peccant, qui offerunt Prolem baptizandam Sacerdoti, non proprio Parocho.
10. seqq. Soli Parochi possunt admittere Puerperas pro Benedictione post Partum.
14. seqq. Saculares intra Septa Monasterii decedentes, sepeliendi sunt in Ecclesia Parochiali, præscindendo à specialibus Privilegiis.
17. seqq. Nullus, nisi Parochus proprius aut de ejus licentia potest assistere Matrimonii.
20. Circa Jus sepeliendi pleraque Religiones habent Privilegia:
21. Salva portione Canonica Parochiali.
22. Privilegium baptizandi, in Ecclesiis suis, vel assistendi Matrimonii non facile concessum legitur Regularibus, nisi habeant Ecclesias Parochiales.
23. Privilegium ad instar supponit valorem illius, ad cujus similitudinem concessum est.
24. 25. Privilegium assistendi Matrimonii est revocatum à Tridentino.
26. 27. Privilegia quantum præjudicant Juri quæstro tertii, absque Clausula derogatoria, habentur pro ob-vel subreptitiis.
28. Valent Privilegia, qua derogant Juri communi:
29. Nisi Jus commune tali Privilegio resistat;
30. Item nisi agatur de Communicatione Privilegiorum in genere, sub qua non comprehenduntur Privilegia extraordinaria.
31. Considerandus est tenor Indulti, quo communicantur Privilegia.
32. Privilegium sepeliendi familiares facile obtinent Regulares:
33. Secus Privilegium baptizandi Infantes Familiarium.
Facultas administrandi Pœnitentia, Eucharistia, & alia Sacramenta, Regularibus quibusdam concessa, quomodo intelligatur.
34. Parochus Principalis præsentem Vicario perpetuo non potest se ingerere in Administrationem Sacramentorum.
35. Divisio Parochiarum non fit, si unus satisfacere potest Obligationibus Cura Pastoralis.
36. Gratia aliis Ecclesiis concedi solent cum Clausula: Salva Justitiâ Ecclesiæ Parochialis.
37. Hac tamen Privilegia examinari debent, an non sint ob-vel subreptitia.
38. Et peti potest, ut audiat Parochus.

FACTI SPECIES.

Ecclēsia Parochialis N. à tempore omnem hominum memoriam excedente, est, fuitque semper in Possessione quietâ Juris baptizandi Infantes domesticorum, aut famulorum Venerabilis Monasterii ibidem existentis, natos intra,
R.P. Schmalzgrueber Conf. Tom. I.

vel extra muros, aut septa ejusdem in illius Domibus, vel Officinis. Juris hujus Actus Possessorii in antiquissima Matriçula, seu Libro Baptizatorum, inchoatò Anno 1605. (antiquior enim nullus extat) inveniuntur septuaginta septem, nimirum viginti octo respectu eorum Infantium, qui intra muros Monasterii ex domesticis, & famulis ejusdem nati sunt, & quadraginta novem respectu eorum, qui extra illius Septa in Domibus,

K k k

mibus,